

VII.

GESTA DOMNI DAGOBERTI

REGIS FRANCORUM, FILII CLOTARII II.

Scripta a monacho cœnobii sancti Dionysii, anonymo quidem, sed contemporaneo.

(Ex Duchesn., Hist. Franc. Script.)

CAP. PRIMUM. — *De Clotario patre Dagoberti.*

Quartus ab Clodoveo, qui primus regum Francorum ad cultum Dei, docente beato Remigio Rhemensi episcopo, conversus est, Clotarius, filius Chilperici, regnum sortitus est. Qui elaborata a majoribus dignitate potitus, cum et plurima strenue gesserit, tum præcipue illud memorabile suæ potentiae posteris reliquit indicium, quo rebellantibus adversum se Saxonibus, ita eos armis perdomuit, ut omnes virilis sexus ejusdem terræ incolas, qui gladii quem tum forte gerebat longitudine excesserint, pereverit. Quippe ut junioribus tumoris ansum recordatio illius vitalis seu mortiferi gladii amputaret. Tanta tum Francorum potentia, tanta regum animositas erat. Quomodo autem aut qualiter hoc peregerit, in subsequentibus suo ordine plenius intimabitur. Fuit nempe idem rex Clotarius patientiae deditus, litteris eruditus, timens Deum, ecclesiarum et sacerdotum magnus dicator, pauperibus eleemosynam tribuens, benignum se omnibus et pietate plenum ostendens, belligator insignis, venationibus ferarum nimium assidue utens.

CAP. II. — *De infantia Dagoberti.*

Huic fuit filius nomine Dagobertus, quem ex Bertrude regina suscepérat, qui patri succederet et industria dignus, et viribus. Hic denique in annis puerilibus positus, traditus est a genitore venerabili ac sanctissimo Arnulfo Metensem urbis episcopo, ut eum secundum suam sapientiam enutriret, eique tramitem Christianæ religionis ostenderet, atque ei custos et bajulus esset. Cum autem adolescentie ætatem, ut genti Francorum moris est, venationibus exerceret, agere cervum quadam die instituit. Qui facile repertus, oblatrantibus atque certatim insequentibus canum agminibus, ea perniciate qua illud animal fertur, silvas montesque, et si qua occurrere flumina, transcurrrens, canum industriam effugere conabatur. Tandem ergo victus ad vicum qui Catulliacus dicitur, se contulit. Hic ab urbe quæ Lutetia sive Parisius vocatur, quinque ferme millibus abstest. Siquidem in ea urbe reges Francorum maxime sceptra tractare consueverant.

CAP. III. — *De beato Dionysio martyre, et sociis ejus, et ecclesia quam beata Genovesa super ipsos construxerat.*

In eo sane vico temporibus Domitiani, qui secundus ab Nerone in Christianos arma corripuit, pri-

mum memoratæ urbis episcopum beatissimum Dionysium, cumque eo Rusticum et Eleutherium, quorum alter presbyter, alter diaconus erat, pro Christi nomine in prospectu ipsius civitatis interemptos quedam materfamilias vocabulo Catulla, a qua et vice deductum nomen dicunt, quia palam non audiebat, clam sepulturæ mandavit. Signavit tamen loculum, ut rei gestæ junioribus constaret notitia. Sie incomparabilis thessaurus diu latuit, nec præter famam locus ille quidquam habebat conspicuum. Et quamvis quedam inibi ab anterioribus regibus propter assidua quæ ibidem agebantur miracula collata fuissent, tamen quia locus ipse eo tempore sub potestate Parisiaci antistitis constitutus erat, et cui vellet clericorum eum jure beneficij tradebat: illeque cui concedebatur non honestatem loci, sed terrenum lucrum, quemadmodum in quibusdam locis hodieque cernitur, sibi inde in propriis usus accumulari videbatur: ob hoc, ut diximus, locus ille nimium negligebatur. Vilis quippe tantum ridicula, quam, ut serebatur, beata Genovesa super sanctos martyres devote construxerat, tantorum martyrum corpora non ambiebat, quoad, sicut in processu expediāt, profuturum orbi eorum nomen enituit; et procurante Deo, ad singularem excellentiam locus, qui tam magnis, tam certis, tam denique antiquis illustrabatur, quamvis occulte, patronis, proiectus est.

CAP. IV. — *De cervo, qui insequente Dagoberto in eadem martyrum fecit confugium.*

Sed ut ad propositum redeam, cervus diu hic illeque per vicum oberrans, ædem beatorum martyrum ingreditur, seque ibi componit. Instabant canes, et licet idem eis quod et cervo pateret ostium, et qui eos abigeret nemo visibilium custodum adlesset, attamen sancti martyres suum domicilium non patiebantur immundorum violari ingressu. Videres hinc cervum tutum repperisse persigui, inde canes ejus præsentiam latratibus indicare, seque ab introitu ædis divina virtute arceri. Dagobertus citato cursu pervenit, rem spectaculo dignam admiratur: stupet, amplectitur. Finitimos tum rumor iste vulgo sollicitat, et cum maxime Dagobertum, tum etiam eos ad amorem et venerationem sanctorum instigat. Et ut vere fatear, ut ex gestis postmodum claruit, nullus Dagoberto locus aut dulcior, aut jucundior fuit.

CAP. V. — *De morte matris Dagoberti.*

Igitur anno 36 regni Clotarii, Bertedrudis regina mater Dagoberti moritur, quam unico amore Clotarius dilexerat, et omnes duces bonitatem ejus probantes vehementer amaverant. Post cuius obitum Clotarius rex aliam accepit uxorem nomine Sichildem, de qua habuit filium nomine Hairbertum.

CAP. VI. — *De Sadregiselo duce, quomodo eum Dagobertus dehonestaverit.*

Itaque Dagobertus sic probitate ut aetate in dies crescebat, spemque futuri regis optimam subinde indicis operum ingerebat. Et pater Clotarius quemdam, ut putabat, spectatae fidei Sadregisilum rebus sub se tractandis praefecerat, Aquitaniae ducatu specialiter ei commisso. Hic tanto dignitatis fastu elatus, regis filium Dagobertum partim collatice potestatis superbia, partim spe regni laborans, non aequo animo prosperius agere serebat. Nec quid moliretur simulato saltem amore obtegere diu valuit. Sed quia metu patris manifestus non poterat, occultum se ei inimicum crebro contemptu aperuit. Excusatio sane juvenilis erat aetatis, ne rudis adhuc animus tumorem ex subjectione principum contraheret, ne dominatione immature adepta fastigia impubem ab exercitationis studio revocarent. Fit igitur ad Dagobertum tam invidiosa relatio. Et quamvis sua ipse industria id jam deprehendisset, aliorum sententia in rem plenius inducitur. Verum, quia eum in ordinem redigere non sufficeret, duxit latius opportunitatem oppiri, qua et causam efficacius exploraret, et in amulum quod meruisse tentaret. Clotarius igitur quadam die venatum iit, longiusque forte recessit. Contigit autem et Dagobertum, et memoratum ducem domi resedisce. Tum Dagobertus exoptabilem oblatam sibi nactus occasionem, ducem ad se evocat, jubeque secum prandere. Ille nihil minus quam quod futurum erat cogitans, remissius habere, et futuro, imo jam domino, debitum honorem non exhibere; terque ab eo porrecta sibi pocula, dignus in quem prioris contumaciae vindicta recideret, non sicut a domino, sed velut a socio infame oblate presumit. Deinde Dagobertus, ut patri infidelis, ut sibi amulus, utque sociis invitus foret, orsus est expondere; non opere serviles quidem molestias diu differri, et ne in immensum tumorem tanti fastus procederent, suas injurias non ulcisci. Flagellis ergo eum affici imperat. Post vero barbare rasione (ea enim tum praecipua erat injuria) deturpat. Sic ex improviso, qui secundarum rerum successu futurum se regem auspicias batur, quam longe ab illa dignitate abesset admotus intellexit.

CAP. VII. — *Quomodo Sadregiselus dehonestatus Clotario se obtulit, et quomodo Dagobertus in aedem praedictam martyrum confugium fecit.*

Revertenti igitur Clotario his contumeliis dehonestatus Sadregiselus se offert, et quid praeterea, quae palam erat passus, vel a quo fuerat, illacrymans indicat. Rex itaque ducis sui motus injuriis, filioque multa suribunde interminans, accersiri eum a se juvet. Quo præcognito, Dagobertus, quia resistere

A nec fas nec possibile erat, in eo se illi obniti posse juste creditit, si in aedem præfatam beatorum martyrum iram patris inclinans concederet. Inquit itaque tutissimam fugam, et quo se insecente cervum viderat, ipse quoque patre persequente se confert. Persuasum sibi hoc facto demonstrans, ut qui canes ab ingressu suæ aëdis removerant, se quoque a regis insectatione protegere possent. Nec spem eventus elusit.

CAP. VIII. — *Quomodo Clotarius missos, qui eum inde abstraherent, miserit.*

Quippe Clotarius, ut eum sanctorum tutelam expetisse audivit, adhuc in majorem tollitur iram, mittitque satellites qui inde eum abductum sibi occissime præsentarent. Maturabant illi quod fuerat B jussum implere. Cumque ad sanctum locum tendentes non plus uno millario abessent, ultra aspirare viam tendentes divino nutu prohibentur. Redeunt ad dominum, et quid passi fuerant pandunt. Quorun fidei derogans, quippe qui suo imperio amorem filii præstulissent, delegit alios qui quod hi neglexerant sagaciter implerent. Rursum illi similia patiuntur, et regressi eamdem rem iterato ingeminant. Sed nec sic animositas regis deseruit, et quod per ministros nequiverat, per se implere contendit.

CAP. IX. — *Quomodo Dagoberto in somnis martyres apparuerunt.*

Interea dum haec aguntur, Dagobertum martyribus humili corde prostratum somnus repente corripit. Eique prono ita conjacenti astant tres viri, et corporum lineamentis, et vestium nitore conspicui. Cumque in eos stupefactus intenderet, unus eorum, qui socios præstare veneranda canicie et auctoritate videbatur, sic eum affatus est: Scias, o juvenis, nos esse, quos pro Christo passos fama asseverante audisti, Dionysium, Rusticum et Eleutherium, et nostra hic corpora tegi. Sed quia famam nostram sepulturæ quam vides et domus hujus vilitas obscuravit: si memoriam nostri te ornatum ire promittis, hac te possumus quam pateris liberare angustia, et in cunctis auxiliante Deo præstare suffragium. Et ne putes somnii te illusum phantasia, accipe signum veritate subnixum. Egesta humo, qua monumenta nostra leguntur, quem quod sepulcrum contineat, litteræ in singulis expressæ docebunt. Illoco exper-

D gefactus nomina quæ audierat describit, et ex martyrum alloquo ingenti exsultatione tripudians, voto se, quod postea studiosissime reddidit, obligat.

CAP. X. — *Quomodo Clotarius per semetipsum exinde abstrahere voluerit, et minime potuerit.*

Post haec Clotarius filium, ut prætuli, a sanctorum memoria per se avellere cupiens, comitantibus plurimis appropinquabat. Sed quia non minus in reges quam in alios homines divina quod vult exercet potentia, qui inertes alios arguerat, fit ipse iners; ut manifeste intelligeret, quamvis ipse esset potens, potentioribus concedendum. Quippe martyres fugitivum tuebantur, et e contra hostes longe a suis pernetralibus arcebant.

CAP. XI. — *Quomodo Clotarius filio culpam ignoverit, et eundem locum venerabiliter honoraverit.*

Victus ergo Clotarius, et rei magnitudine stupefatus, ponit furorem, filioque reddit in patrem: ignoscit culpam, de securitate pollicetur. Ita demum abeundi copia concessa, sed beatorum martyrum succedit, eosque patronos humili prece asciscit, quorum expertus fuerat manifestum virtutis indicium. Utque quam probata sibi eorum merita essent agnovit, plurimum auri et argenti ad exornandas eorum memorias obtulit, et ad exaltandam loci magnificentiam numerosa et optima predia dedit.

CAP. XII. — *Quomodo Clotarius Dagobertum consortem regni fecerit.*

Anno vero 39 regni sui Clotarius Dagobertum filium suum consortem regni facit, eumque super Austrasios regem statuit, retinens sibi quod Ardenna et Vosagus versus Neustriam et Burgundiam excludebant.

CAP. XIII. — *Quomodo Dagobertus Gomatrudem in conjugium accepit, et qualiter intet ipsum et patrem orta contentio fuerit.*

Igitur anno 42 regni Clotarii Dagobertus culta regio ex jussu patris honeste cum ducibus Clippiaco procul [prope] Parisius venit. Ibique germanam Sichildis reginæ nomine Gomatrudem in conjugium acepit. Transactis itaque nuptiis, die tertia inter Clotarium et filium ejus Dagobertum gravis orta fuit intentio. Petebatq. e Dagobertus ut cuncta quæ ad regnum Austrasiorum pertinebant suæ ditioni recipere. Sed Clotarius vehementer denegabat, eidem ex hoc nihil volens concedere. Electis igitur ab his duobus regibus duodecim Francis, ut eorum disceptatione hæc finiretur intentio, inter quos et dominus Arnulfus pontifex Metensis cum reliquis episcopis cligitur, ut benignissime, sicut sua erat sanctitas, inter patrem et filium pro pacis loqueretur concordia: tandem a pontificibus vel sapientissimis viris proceribus pater pacificatur cum filio. Reddensque ei solidatum, quod aspiciebat ad regnum Austrasiorum, hoc tantum exinde quod citra Ligerim vel Provinciæ partibus situm erat, suæ ditioni retinuit.

CAP. XIV. — *Quomodo Dagobertus a patre in Austria directus contra Bertoaldum pugnaverit, et qualiter Clotarius ei in auxilium veniens ipsum Bertoaldum interfecerit.*

Dagobertus itaque pulcherrimus juvenis, efficax atque strenuus, in omnibus solerter ingenii probatus simus, cum Pippino duce in Hoste [Leg. vid. Austria] regnaturus a patre dirigitur. Austrasii vero Franci superiores congregati in unum, Dagobertum super se regem statuunt. In illis quoque diebus, Saxones nimium rebelles cum Bertoaldo duce commoverunt exercitum gentium plurimarum contra Dagobertum regem Austrasiorum. Dagobertus vero et ipse collecto hoste plurimo Rhenum transit, contra Saxones ad pugnam exire non dubitat. Illisque valde pugnantibus, Dagobertus super galea capitinis sui percussus est, atque absissa particula de capite cum capillis ad terram decidit. Adtira autem armiger ejus a re-

A tro stans collegit eam. At ille læsum cernens exercitum suum, dixit ad ipsum juvenem: Perge velociter festinus deferens crines capitis mei; nuntia patri meo, quatenus veniens succurrat nobis antequam cunctus corruat exercitus. Qui statim cursum arripieus Rhenum transiit, atque in Ardennam silvam, eo quod rex Clotarius eo tempore inibi moratur, Longolarium usque pervenit. Cumque nuntiasset ea quæ contigerant, et deferens regi abeclam particulam de capite filii ad presentasset, res nimio dolore commotus cum strepitu tubarum et exercitu Francorum illico de nocte consurgens, velociter Rhenum transiit, atque in auxilium filii sui celerrime pervenit. Cumque simul conjuncti in unum hilari corde manibus jucundissime plauderent, supra Wisera fluvium tendentes fixere tentoria. Bertoaldus vero dux Saxonum ex alia parte ripæ fluminis stans, paratus ut ad pugnam procederet, audiens tumultum Francorum interrogabat quid hoc esset. At illi responderunt, dicentes: Dominus Clotarius rex advenit, et ob hoc lætantur Franci. Quibus respondit cum cachinno dicens: Formidantes vos nimium, mentimi delirantes. Clotarium enim, quem vobisca habere dicitis, nos mortuum esse auditum habemus. Rex autem super ripam fluminis stans, galea induito capite, crinesque cum canicie variata obvolutos habens, et hæc audiens, galeam celerrime a sqo capite depositus. Cum nudatum a galea apparuisset caput regis, agnovit eum Bertoaldus regem esse, et irridens ait: Tu hic eras, bale jumentum? Rex vero hæc audiens, valde indignatus, et hoc convicium graviter ferens, Wisera fluvium impatienter ingressus, cum equo velocissimo transnatavit, atque serus ut erat corde Bertoaldum persecutus. Francorumque exercitus sequentes regem, natando vix fluvium cum Dagoberto transibant per gurgites immensos. Rex itaque Clotarius persecutus Bertoaldum, certabat valde cum eo. Dixitque ei Bertoaldus: O rex, recede a me, ne forte interficiam te. Qui si prævaluueris adversum me, ita omnes homines dicent, quod servum tuum Bertoaldum gentilem interemeris; si autem ego interfecero te, tunc rumor magnus in cunctis gentibus audietur, quod fortissimus rex Francorum a servo sit interfactus. Rex vero nequaquam acquieuit

D dictis ejus, sed fremens ira, magis magisque insurgebat super eum. Equites itaque a longe sequentes regem, clamabant dicentes: Confortare contra adversarium tuum, domine rex. Erantque manus regis valde graves. Erat enim rex loricatus, et aqua sinu ejus dum transnataret fluvium replens indumenta omnia nimium aggravaverat. Sed diu multumque decertantes, tandem insurgens rex super Bertoaldum, interfecit eum. Tollensque caput ejus in conlo, reversus est ad Francos. Illique lugentes (nesciebant enim quid regi contigisset) viso eo gavisi sunt gaudio magno. Rex vero totam terram Saxonum devastans, et omnem populum interficiens, non ibidein maiorem hominem viventem reliquit, quam longitudi gladii sui, quem spatam vocant, habere videbatur. Hoc

itaque signum in regionem illam statuit, scilicet ut posteri discerent quanta Saxonum perfidia extiterit, et quanta Francorum polleret potentia, quantaque regum provocata prevaleret animositas.

CAP. XV.—*De morte Clotarii regis, et qualiter ei Dagobertus in regnum successit.*

Anno igitur 45 regni sui Clotarius magnus rex moritur, et suburbano Parisius in Ecclesia sancti Vincentii sepelitur. Dagobertus ergo audiens genitorem suum defunctum, universis principibus quibus imperabat in Austria, jubet exercitum promovere, missisque in Burgundiam et Neustriam dirigit, ut regni ei regimen indubitanter deberent statuere. Cumque Rhemis pervenisset, suggestio peraccedens, omnes pontifices et duces de regno Burgundiæ inibi se tradidisse noscuntur. Sed et Neustrasii pontifices et proceres, plurima pars regni, Dagobertum nisi sunt expetisse.

CAP. XVI.—*De Hairberto fratre Dagoberti, et qualiter ei Dagobertus partem regni concesserit.*

Hairbertus autem frater ejus nitebatur si posset regnum assumere. Sed illius voluntas pro simplicitate parum sortitur effectum. Brunulfus vero, qui frater fuerat Sichildis reginæ, volens nepotem suum Hairbertum stabilire in regnum, adversus Dagobertum muscipulare coepérat. Sed hujus rei vicissitudinem postea probavit eventus. Cumque regnum Clotarii, tam Nepticum quam Burgundia, a Dagoberto fuisse occupatum, captis thesauris et sua ditioni redactis, tandem misericordia et pietate motus, consilio sapienti usus, citra Ligerim et limitem quod C tenditur partibus Wasconiæ, seu et montes Pyrenæos, pagos et civitates, quod fratri suo Hairberto ad trans agendum, et ad instar privato habitu convivendum posset sufficere, placuit concessisse. Pagum scilicet Tolosanum, Caturcinum, Agennensem, Petrogoricum, et Sanctonicum, vel quod ab his versus Pyrenæos montes excluditur, hoc tantum Hairberto fratri suo regendum concessit: quod et per pactionis vinculum firmavit, ut amplius Hairbertus nullo tempore adversus Dagobertum de regno patris repeteret presumeret. Hairbertus vero, sedem Tolosanam eligens, regnabat in partibus provincie Aquitanie. Qui post annos tres cum regnare coepisset, totam Wasconiam cum exercitu superans sua ditioni re legit, et aliquantulum regni sui spatium largiore fecit.

CAP. XVII.—*Quomodo Dagobertus rex sanctorum martyrum Dionysii sociorumque ejus corpora requisierit, atque ecclesiam ornaverit, et de absida infra quam requiescunt, qualiter eam desuper ex argento cooperuerit.*

Dagobertus denique Deo annuente regnum paternum retinens, inter alia quæ laudabiliter gessit, memor voti jam dicti, accessit ad supra memoratum locum; et sicut in somnis præmonitus fuerat, sanctorum martyrum Dionysii, Rustici et Eleutherii corpora requirens, digesta eorum in sarcophagiis nomina reperit, quæ et in aliud ejusdem vici locum summa cum veneratione x Kal. Maias transtulit, eorumque

A memorias auro puro et purissimis gemmis exornavit. Et quamvis ecclesiam, quam ipse a fundamine construxerat, intrinsecus miro decore fabricaverit, foris quoque desuper absidiā illam, infra quam veneranda martyrum corpora tumulaverat, ut plenus devoti animi expleret desiderium, ex argento purissimo mirifice cooperuit.

CAP. XVIII.—*Quomodo de teloneo ex Massilia centum solidos in luminaribus ipsius ecclesiae annuatim concesserit.*

Nam et de proprio teloneo, quod ei annis singulis ex Massilia solvebatur, centum solidos in luminaribus ejusdem ecclesiae eo tenore concessit, ut oleum exinde actores regii, secundum quod ordo cataboli esset, quasi ad opus regis studiose emerent, et sic demum missis ipsius loci annuatim traderent. Praeceptumque exinde taliter firmare studuit, ut tam in ipsa Massilia, quam Valencia, Fossas et Lugdunum, vel quocunque per reliqua loca transitus erat, omne teloneum de sex plaustris, quibus hoc videbatur deserri, usquequo ad ipsam basilicam peraccederent, omnimodis esset indultum.

CAP. XIX.—*De gazophylacio quod ante cornua altaris ipsius ecclesiae fieri jussit, et annuatim inibi centum solidos solvi præcepit.*

Gazophylaciū quoque ante cornu altaris ejusdem ecclesiae ex argento fieri jussit, ut introducta ab offerentibus alimonia per manum sacerdotis ipsa pauperibus erogaretur substantia, quatenus juxta illud evangelicum hujuscemodi eleemosyna fieret abscondita; et omnipotens Dominus, qui occulta omnia conspicit, centuplicata in æterna retributione unicuique restitueret. In quo etiam centum solidos annua illatione idem rex pro æterna recompensatione intromitti de Kalendis in Kalendas Septembres destinavit, indeque tale præceptum edidit, ut deinceps tam ipse quam filii sui, vel qui postmodum reges Francorum succederent, recurso anni circulo præsinitum solidorum numerum ex ærario publico inibi inserre tempore inlibato non obmitterent. Ipsi autem centum solidi non alibi, nisi in omnibus distribuerentur pauperibus, nullusque hoc præsumeret abstractare, sed quandiu regnum consistaret a regibus succedentibus suo tempore in prædicto gazophylacio inferrentur, ut de ipsa collatione, et quod Dominus D ab aliis hominibus ibidem voluisset adhuc augeri, pauperes et peregrini exinde valerent per inconvulsâ tempora recreari.

CAP. XX.—*De cruce aurea quam idem rex inibi fieri jussit.*

Crucem etiam magnam, quæ retro altare aureum poneretur, ex auro puro et pretiosissimis gemmis insigni opere ac munitissima artis subtilitate fabricari jussit, quam beatus Eligius, eo quod illo in tempore summus aurifex ipse in regno haberetur, cum et alia quæ ad ipsius basilicæ ornatum pertinebant, strenue præpararet, eleganti subtilitatis ingenio, sanctitate opitulante mirifice exornavit. Nempe moderniores aurifices asseverare solent quod ad præsens vix aliquis sit relicitus qui, quamvis peritissi-

nus in aliis exstet operibus, hujuscemodi tamen gemmarii et inclusoris subtilitate valeat per multa annorum curricula, eo quod de usu recesserit, ad liquidum experientiam consequi. Nam et per totam ecclesiam auro textas vestes, margaritarum varietibus multipliciter exornatas, in parietibus et columnis atque arcibus suspendi devotissime jussit: quatenus aliarum ecclesiarum ornamenti præcellere videretur, et omnimodis incomparabili nitore versans, omni terrena pulchritudine compta atque inestimabili decore irradiata splendesceret. Utque divina laus perpetuo a Dei cultoribus ibidem ageretur, plurima et ingentia prædia addidit.

CAP. XXI. — *De ingressu ipsius in Burgundiam et timore procerum et gaudio pauperum, seu morte Brunulfi.*

Igitur cum jam anno 7 in maximam partem paterni regni, ut supra memini, regnaret, plurimorum commentatori vallatus Burgundias ingreditur. Tantum autem timorem pontificibus et proceribus in regno Burgundiae consistentibus, seu et ceteris ducibus, adventus ipsius incusserat, ut cunctis esset admirandus. Pauperibus namque justitiam querentibus gaudium vehementer irrogaverat. Cumque Lingonis civitatem venisset, tantam universis sibi subditis, tam sublimibus quam pauperibus, judicabat justitiam, ut crederetur omnino fuisse Deo placabilis. Apud quem nullum intercedebat præmium, nec personarum acceptio, sed sola dominabatur justitia quam diligebat Altissimus. Deinde Divionna, imoque Latona residens aliquantis diebus, tantam intentionem cum universo regni sui populo justitiae judicandæ posuerat, ut hujus benignitatis desiderio plenus, nec somnum caperet, nec cibo satiaretn: intentissime cogitans, ut omnes cum justitia recepta de conspectu suo remearent. Eodem autem die quo ab Latona Caballonnéum deliberare properat, priusquam lucesceret balneum ingreditur, ibique Brunulsum avunculum fratris sui Hairberti propter infidelitatem suam interfici jussit. Qui ab Amalario et Arneberto ducibus et Willibado patricio interfectus est.

CAP. XXII. — *Quomodo Gomatrudem reliquerit et Nanthildem in conjugum duxerit.*

Cumque Caballonnéum justitiæ amore quæ coepit perficienda ipsa intentione pergeret, post per Augustidunum Autissiodorum pergens, indeque per civitatem Senonas, Parisius venit. Ibique Gomatrudem reginam Romiliaco villa, eo quod esset sterilis, cum consilio Francorum relinquens, Nanthildem quamdam speciosissimi decoris pueram in matrimonium accipiens, reginam sublimavit. Usque ad illud tempus, ab initio quo regnare coepit, consilio primitus beati Arnulfi Metensis urbis pontificis, et Pipini majoris domus usus, tanta prosperitate regale culmen in Austria regebat, ut a cunctis gentibus immensi honoris laudem haberet. Timorem vero tam fortem sua concusserat judicialis potentia, ut etiam devotione concurrent ejus se tradere ditio- ni; quatenus gentes etiam quæ circa limitem Ava-

rorum et Sclavorum consistunt, eum prompte experterent, ut ille post tergum eorum iret feliciter, in tantum ut Avari et Sclavi, cæterarumque gentium nationes manu publica ipsius ditioni se subjiciendas fiducialiter sponderent. Post discessum vero beati Arnulfi, adhuc consilio Pipini majoris domus, et Chuniberti pontificis urbis Coloniæ utens, et ab ipsis fortiter admonitus, prosperitatis et justitiae amorem complexus universarum sibi gentium subditarum, usque dum Parisii, ut supra memini, pervenisset urbem, adeo favoribus extollebatur, ut nullus de præcedentibus Francorum regibus illius laudibus fuisset præcellentior. Veniensque ad veneranda sepulcra beatorum martyrum Dionysii sociorumque ejus, Dominum precabatur ut ea quæ corporis ipsius martyribus intercedentibus in eo vota perficeret. Ut autem eosdem martyres sibi plenius conciliaret, Stirpiniacum villam in pago Wilcassino præsentali- ter per firmitatis suæ præceptum eorum basilice tradidit.

CAP. XXIII. — *Qualis idem rex Dagobertus fuerit.*

Erat siquidem ipse præcellentissimus princeps atque rex Dagobertus satis admodum cautus, et ingenio astutus, circa benevolos et sibi fidèles man- suetus, rebellantibus vero seu perfidis nimium videbatur in regno terribilis. Qui optime regalia sceptrum gubernans, et piis semetipsum benignissimum exhibens, ut leo tamen servidus rebellium colla deprimens, exterarum gentium feritatem vallante fortitudine animi scipissime triumphabat. Ecclesiarum vero et sacerdotum, atque pauperum seu peregrinorum, ditator supra modum largissimus existebat. Exercitiis viritim et venationibus assidue utens, in omni agilitate corporea strenuus atque incomparabilis erat. Nempe etsi aliqua more humano reprehensibilia circa religionem, gravatus regni pondere, ac juvenilis inlectus ætatis mobilitate, minus caute secus quam oportebat exigit, quia nemo in omnibus perfectus esse potest; credendum est tamen quod tantarum erogatio eleemosynarum, atque sanctorum oratio, quorum memorias ornare et basilicas ditare, ob redemptionem suæ animæ, supra omnes anteriores reges incessanter studebat, apud misericordissimum Dominum, ut hoc ei clementer indulgeret, facillime impetrari posse.

CAP. XXIV. — *Quomodo Ragnetrudem stratus suo asciverit et filium ex ea generit; et qualiter legationem ad Heraclium imperatorem direxerit.*

Denique anno 8 regni sui, cum Austria regio cultu circumiret, moestusque esset nimium eo quod filium, qui post cum regnaret, minime habere potuisset: quamdam pueram nomine Ragnetrudem stratu suo ascivit, de qua eo anno largiente Domino habuit filium, multis precibus atque eleemosynarum largitionibus acquisitum. Hairbertus itaque rex frater ejus Aurelianis veniens, filium ejus de sancto lavacrocepit. Namque dum eundem patrem venerabilis vir Amandus Trajectensium urbis episcopus benedicerebat, eumque catechumenum faciebat, finitaque oratione nemo de exercitu tanta mul-

titudinis respondisset, *Amen*, aperuit Dominus os pueri, qui non amplius quam xi . dies a nativitate habebat, atque audientibus cunctis, respondit, *Amen*. Statimque eum regenerans sanctus pontifex sacro baptisme, impositoque nomine Sigeberto, reges et utrumque exercitum magno replevit Dominus gaudio atque admiratione, hujusmodi signo. Igitur Ezra quidam de primoribus cum ceteris Neustrasiis consilio Dagoberti erat assiduus. Eo anno legati Dagoberti regis, quos ad Heraclium imperatorem dixerat, his nominibus, Servatus et Paternus, ad eum revertuntur nuntiantes pacem se cum Heraclio firmasse.

CAP. XXV. — *De morte Hariberti, et quomodo Dagobertus regnum et thesauros ejus suæ ditioni redigerit.*

Cum autem esset Heraclius imperator litteris nimium eruditus, peritissimus ad ultimum astrologus efficitur. Qui cognoscens in siderum signis quod a circumcisio gentibus divino nutu ejus imperium esset vastandum, ad Dagobertum regem Francorum dirigit, petens ut omnes Judeos regni sui secundum fidem catholicam baptizari præciperet. Rex vero Dagobertus hac occasione nactus, et Dei zelo ductus, cum consilio pontificum atque sapientium virorum omnes Judeos qui regenerationem sacri baptismatis suspicere noluerunt, protinus a finibus regni sui peliere jussit. Et rex quidem hoc summo peregit studio. Sed Heraclio non de Judæis, sed de Agarenis, id est Saracenis, circumcisio gentibus, fuerat denuntiationum: quoniam ab ipsis ejus imperium postmodum noscitur esse captum atque violenter vastatum. Anno Itaque nono regni Dagoberti, Hairbertus frater ejus moritur, relinquens parvulum filium nomine Chilericum, quique etiam nec post moram defunctus est. Omneque regnum Hairberti una cum Wasconia Dagobertus rex protinus suæ ditioni rededit. Ad adducendos quoque thesauros Hairberti, et sibi præsentandos, Barontum quemdam ducem direxit. Barontus autem grave dispendium fecisse dignoscitur, fideliter una cum thesauris furtum faciens, nimium que exinde fraudulenter subtraxit.

CAP. — XXVI. *De morte Landegiselii, qui fuerat germanus Nanthilda reginæ.*

Eodem tempore germanus Nanthildis reginæ nomine Landegiselus defunctus est, atque in ecclesia beatorum martyrum Dionysii sociorumque ejus jubente rege honorifice sepultus. Regina vero deprente ut pro sepultura sui fratri Alateum vilare, situm in pago Parisiaco, basilicæ prædictorum martyrum delegaret, eo quod prædictus Landegiselus dum viveret per præceptum regale eamdem vilulam promeruerat, rex libentissime concedens annuit, præceptumque insuper de supradicto Alateo villare fieri præsentialiter jussit, atque propria firmitatis auctoritate subscripsit, et annuli impressione signari præcepit.

CAP. XXVII. — *De initio scandali inter Dagobertum regem Francorum et Samonem regem Sclavorum.*

Eo igitur anno Sclavi cognomento Winidi, quo-

rum regnum Samo tenebat, negotiatores Francorum cum plurima multitudine interficiunt, et rebus expoliant. Hæc autem res fuit initium scandali inter Dagobertum regem Francorum et Samonem regem Sclavorum. Dirigens itaque Dagobertus Sicharium [Al., Suharium] legatarium ad Samonem, rogabat ut negotiatores quos sui interficerant, et res eorum illicite usurpaverant, cum justitia faceret emendare. Samo autem nolens Sicharium videre, Sicharius ueste indutus ad instar Sclavorum, cum suis ad conspectum pervenit Samonis, atque universa quæ sibi fuerant injuncta eidem nuntiavit: de his et aliis contentionebus quæ inter partes ortæ fuerant, rogans ut justitia redderetur in invicem, eo quod Samo et populus regni sui Dagoberto regi deberent servitium. Samo vero respondens jam sauciis dixit: Et terra quam habemus Dagoberti est, et nos sui sumus, si tamen disposuerit nobiscum amicitias conservare. Sicharius dixit: Non est possibile ut Christiani et Dei servi cum canibus amicitias conjungere possint. Samo e contrario dixit: Si vos estis servi Dei, et nos Dei canes, dum vos assidue contra ipsum agitis, nos permisum habemus vos morsibus lacerare. Statimque ejectus est Sicharius de conspectu Samonis. Cumque hæc Dagoberto regi nuntiata fuissent, illico jubet de universo regno Austrasiorum contra Samonem et Winidos movere exercitum. Igitur cum tribus turmis legionum super Winidos exercitus ingreditur. Etiam et Langobardi ad solatium Dagoberti hostiliter in Sclavos perrexerunt. Sclavi autem his et aliis locis se e contrario reparantes, Alamannorum exercitus cum Rodoberto duce in parte qua ingressus est victoriam obtinuit. Langobardi item cum Dagoberto victoriam obtinuerunt, et plurimum numerum captivorum de Sclavis Alamanni et Langobardi secum duxerunt. Rex vero terram illam devastans, ad proprium regnum reversus est.

CAP. XXVIII. — *De contentione Avarorum et Bulgarorum, et qualiter Dagobertus Bulgares qui ad eum venerant interfici jusserit.*

Siquidem eodem anno inter Avaros cognomento Chunos et regnum Hispaniae vehemens surrexit contentio, eo quod certarent inter se, cui deberetur regnum ad succedendum: altera pars ex Avaris, et altera ex Bulgaris. Collecta itaque multitudine, cum utrique se invicem impugnarent, tandem ab Avaris Bulgari superantur. Qui devicti novem millia cum uxoribus et liberis de Pannonia expulsi regem Dagobertum expetunt, petentes ut eos in terram Francorum ad manendum recipere. Rex autem ad hiemandum eos in Bajuvariam recipere præcepit, dummodo pertractaret cum Francis quid exinde faceret. Cumque dispersi per domos Bajuvariorum ad hiemandum fuissent, sapienti consilio Francorum rex Bajuvariis jubet ut Bulgares illos cum uxoribus et liberis unusquisque unumquemque in domo sua in una nocte interticeret. Quod protinus a Bajuvariis impletum est, nec quisquam ex illis remansit.

CAP. XXIX. — *De morte Sisebodi regis Hispaniæ et de missorio aureo quem Sisenandus Dagoberto regi promiserat.*

Eodem vero anno quid partibus Hispaniæ vel eorum regibus contigerit, non prætermittam. Defuncto Sisebodo rege clementissimo, cui Sentila ante annum circiter successerat in regnum, cum esset Sentila nimium in suis iniquus, et omnium regni sui primatum incurreret odium, cum consilio cæterorum Sisenandus quidam ex proceribus Dagobertum regem expectavit, ut ei cum exercitu auxiliaretur, qualiter Sentilam depelleret regno. In hujus vero beneficii recompensatione missorium aureum nobilissimum ex thesauris Gothorum, quem Thuresmodus rex ab Etio patricio suscepserat, regi dare promittit, pensantem auri pondera quingenta. Rex autem Dagobertus ut erat in præliis strenuus, exercitum in auxilium Sisenandi totum regni Burgundiae jure prælia convocari precepit, eidemque Abundantium et Venerandum duces instituit. Cumque in Hispania divulgatum fuissest, exercitum Francorum ad auxiliandum sibi Sisenandum aggregari, omnis Gothorum exercitus se ditioni Sisenandi subegit. Abundantius vero et Venerandus duces Dagoberti regis una cum exercitu Tolosano tantum usque Cæsaugustam civitatem cum Sisenando accesserunt; ibique omnes Gothi de regno Hispaniæ congregati Sisenandum sublimant in regnum. Abundantius autem et Venerandus cum exercitu Tolosano muneribus honorati reversi sunt ad proprias sedes. Rex denique Dagobertus legationem ad Sisenandum regem per Amalarium ducenti et Venerandum dirigit, ut missorium illum quem promiserat eidem transmitteret. Cumque a Sisenando missorius ille legatus fuissest traditus, a Gothis per viam tollitur, nec eum exinde abstrahere permisserunt. Postea vero discurrentes legati ducenta milia solidorum missori ipsius pretium rex a Sisenando accepit. Fertur enim quod ipsum argentum ad opus fabricæ ecclesiæ sancti Dionysii martyris cum aliis pluribus ornamentiis Dagobertus rex devotissime obtulerit. Eo namque tempore tam creberrima erat inibi obtentu martyrum frequentia miraculorum, ut quibuscumque infirmatibus oppressi undique adventantes devoto animo eumdem locum expeterent, sanitate redditæ cum gaudio ad propria remearent. Quod cernens rex, quidquid in thesauris suis pretiosius inveniri poterat, ad exornandum ipsum locum indubitanter offerebat. Nam et matriculam et senodochium, cæteraque diversa loca ad hoc ibidem instituit, ut pauperes utriusque sexus, sive etiam qui sanctorum ope sanitati donari digni fuissent, in reliquum ipsius eleemosynis sustentati, qui vellent in servitio Ecclesiæ ac si pro gratiarum actione permanenterent.

CAP. XXX. — *Quomodo Dagobertus contra Winidos cum exercitu perrexit, et qualiter Saxonibus tributum induserit.*

Denique anno 10 regni sui, cum ei nuntiatum fuissest exercitum Winidorum Toringam fuisse in-

A gressum, cum exercitu nil moratus ex regno Austrasiorum ab urbe Mettis promovens, transita Ardensia Magontiam aggreditur; disponensque Rhenum transire, scaram de electis viris fortibus ex Neustria et Burgundia cum ducibus et garrisonibus secum habens, Saxones missos ad eum dirigunt, petentes ut eis tributa, quæ fiscorum ditionibus desolvebant, indulgeret. Ipsi vero studio suo et utilitate Winidis resistentum spondent, et Francorum limitem de illis partibus custodire promittunt. Rex itaque Dagobertus, consilio Neustrasiorum adeptus, eis quod poscebant præstabilit. Saxones autem, qui hujus petitionis suggerendi causa venerant, sacramentis, ut eorum mos erat, super arma patratis, pactum pro universis Saxonibus firmant. Sed parum haec promissio sortitur effectum. Attamen Saxones tributum quod reddere consueverant, per præceptionem Dagoberti hactenus habent indultum. Quingentas enim vacas inferendales annis singulis a Clotario seniore censiti reddebant. quod tunc a Dagoberto rege cassatum est.

CAP. XXXI. — *Quomodo Dagobertus filium suum in regnum Austræ sublimavit.*

Anno itaque 11 regni sui cum Winidi jussu Samonis iterum fortiter sacerdotes, et sepe transverso proprio limite, regnum Francorum vastandum, Toringam, et reliquos pagos ingredierentur: Dagobertus rex Mettis urbem veniens, cum consilio pontificum seu et procerum, omnibusque primatibus regni consentientibus, Sigelbertum filium suum in regno Austræ sublimavit, sedemque Mettis civitatem habere permisit. Chunibertum vero Coloniz pontificem, et Adalgisum ducem palatii ad regnum gubernandum instituit, thesaurumque quod sufficeret filio tradidit. Et condigne, ut decebat, cum hujus culminis honore sublimavit, et quodcumque eidem largitus fuerat præceptionibus roborandum decrevit. Deinceps enim Austrasiorum studio limitem et regnum Francorum contra Winidos utiliter defensare noscitur.

CAP. XXXII. — *Quomodo Hludowicus eidem ex Nanthilde natus fuerit, et qualiter inter ipsum et Sigebertum regnum suum divisserit.*

Cumque anno 12 Dagoberti regis eidem filius nomine Hludowius [Aliis, Clodoveus] de Nanthilde regina natus fuissest, consilio Neustrasiorum, eorumque admonitione per pactionis vinculum cum Sigeberto filio suo firmasse cognoscitur: atque Austrasiorum omnes primates et pontifices, cæterique duces Sigeberti manus suas ponentes, insuper sacramentis firmaverunt, ut Neptricum et Burgundia solidato ordine ad regnum Hludowii post Dagoberti regis discessum aspiceret. Austrasia vero eodem ordine solidata, eo quod et de populo et de spatio esset coequans, ad regnum Sigeberti, eidemque in integritate deberet aspicere, et quidquid ad regna Austrasiorum jam olim pertinuerat, totum Sigebertus rex suæ regendum ditioni recipret, et in perpetuo dominandum haberet, excepto ducatu Dentilonis, quod ab Austrasiis nequiter ablatum fuerat, iterum ad Naustrasios

subjugareretur, et Hludowii regimini subjiceretur. Sed has pactiones Austrasii, terrore Dagoberti regis coacti, vellet nollentque firmasse visi sunt; quas et post temporibus Sigeberti et Hludowii regibus conservatas suisse constat.

CAP. XXXIII. — *Quomodo Ecclesiae Christi martyrum Dionysii ac sociorum ejus quasdam areas infra extraque Parisius atque portam ipsius civitatis cum omnibus teloneis contulerit.*

Per idem tempus Dagobertus rex Parisius rediens, atque in amore sacerdotiorum martyrum Dionysii sociorumque ejus, propter magnificas, quas ad eorum veneranda sepultra quotidie Dominus operabatur, virtutes, magis ac magis gliscens, areas quasdam infra extraque civitatem Parisii, et portam ipsius civitatis, quæ posita est juxta Carcerem Glaucini, quam negotiator suus Salomon eo tempore prævidebat, cum omnibus teloneis, quemadmodum ad suam cameram deserviri videbatur, ad eorum basilicam tradidit, et per præcepti sui auctoritatem perpetuiter id mansurum esse, proprii nominis subscriptione atque annuli impressione firmavit.

CAP. XXXIV. — *Quomodo annuale mercatum quod fit post festivitatem martyrum fratribus inibi commorantibus concesserit.*

In ipso quoque tempore annuale mercatum quod fit post festivitatem ipsorum excellentissimorum martyrum prope idem monasterium, eidem sancto loco et fratribus Deo et sanctis martyribus ibidem deservientibus concessit, et exinde hujusmodi præceptum firmare studuit, ut omnes teloneum vel quidquid ex eo fisci partibus sperare poterat, et quod in ipsa civitate seu in omnibus locis reliquis, infra ipsum pagum Parisiacum inibi denominatis, ab ipsa festivitate usque dum illud mercatum finiretur, jure exigi quacunque judicaria potestate valuisse, pro æterna retributione, atque ut eisdem Dei servis devotius pro eo omni tempore futuro divinam delectaretur exorare clementiam, totum ex integro absque ulla exceptione sive diminutione in eorum usibus perpetualiter sanciret esse indultum.

CAP. XXXV. — *De morte Sadregiseli, et quomodo rex omnes res ipsius, quæ ad fiscum receptæ fuerant, supradictæ ecclesiae tradiderit.*

Anno itaque 13 regni sui, cum Sadregiselus dux Aquitanorum a quibusdam hominibus interfectus esset, de quo supra mentionem fecimus, quod propter contemptum sui eum flagellis affici et barbae rasione deturpari in sua infantia Dagobertus jusserit, et ob hoc patrem metuens tutelam sanctorum martyrum expetierit: et cum haberet ipse Sadregiselus filios in palatio educatos, qui cum facillime possent mortem patris evindicare noluerunt, propterea postea secundum legem Romanam a regni proceribus redarguti, omnes paternas possessiones perdiderunt. Cumque omnia ad regalem fiscum fuissent recepta, præcellentissimus rex Dagobertus ecclesiae Christi martyrum Dionysii sociorumque ejus, easdem villas jmdicti Sadregiseli, id est Novientum in pago Ande-

A gavense, Barciacum, seu Nuiliacum, necnon Podentianum, et Pascellarias, atque Angarias in pago Pictavense, aliasque quamplures cum salinis supra mare, quarum nomina hic recensere longum duximus, devotissime tradidit: medietatemque earum in stipendiis fratrum Deo ibidem servientium contulit, atque eos turmatim ad instar monasterii Agauensem sive sancti Martini Turonis psallere instituit, et aliam medietatem matriculariis ac servitoribus ipsius ecclesiae concessit, nihil exinde ad suum opus retinere volens. Easdem autem villas infra unius præcepti conclusionem nominatim inserens, proprii nominis subscriptione atque annuli impressione firmavit. Quarum nomina si aliquis diligentius perquirere voluerit, ipsam præceptionis cartam in archivo ipsius ecclesiae requirat, et ut reor viginti et septem villarum nomina inibi inserta inveniet.

CAP. XXXVI. — *De exercitu quem in Wasconiam transmisit.*

Anno denique 14 regni sui cum Wascones fortiter rebellarent, et multas deprædationes in regno Francorum, quod Haribertus tenuerat, facerent, Dagobertus rex de universo regno Burgundie exercitum promoveri jubet, statuens in capite Adoindum referendarium, qui temporibus Theoderici quondam regis in multis præliis probatus est strenuus. Cum quo duces una cum exercitibus missi sunt: id est Harimbertus, Amalarius, Leudobertus, Wandalmarus, Waldericus, Ermenicus, Barontus, Hairhardus, ex genere Francorum; Rameleus ex genere Romano; Willebadus patricius ex genere Burgundionum; Agino ex genere Saxonum; exceptio comitibus plurimis, qui ducem super se non habebant. Qui omnes in Wasconiam una cum exercitu perrexerunt. Cumque tota Wasconiæ patria ab exercitu Burgundie fuisse repleta, Wascones de inter montium rupibus egressi ad bellum properant. Et cum præliari cœpissent, ut eorum mos est, terga vertentes, dum cernerent se esse superandos, in fauces vallium montiumque primas latebram dantes, se locis tutissimis per rupes ejusdem montis colloquantes latitarent: exercitus post tergum eorum cum ducibus insequens, plurimum numerum captivorum vinci, Wascones superatos, seu ex his multitudine intersecta, omnesque domos eorum incensas, peculiis et rebus expoliант. Tandem Wascones oppressi atque perdomiti, veniam et pacem a supradictis ducibus petentes, promittunt se gloriæ et conspectui Dagoberti regis præsentatos, seque ipsius ditioni traditos, cuncta ab eodein injuncta impleturos. Feliciter autem regis exercitus absque ulla lesione ad patriam esset reversus, sì Harimbertus dux maxime cum senioribus et nobilioribus exercitus sui per negligentiam a Wasconibus in valle Robola non fuisse intersectus. Exercitus vero Francorum, qui de Burgundia in Wasconiam accesserat, patrata Victoria rediit ad proprias ædes.

CAP. XXXVII. — *Quomodo de quibusdam villis ecclesiasticis supradictorum martyrum hæredem fecerit, et qualiter fratribus inibi consistentibus ex ducatu Cenomannico centum vaccas annis singulis concesserit.*

Eodem autem tempore devotissimus rex Dagobertus ecclesiam Christi martyrum Dionysii ac sacerdotum ejus hæredem propriorum fecit præceptorum subscriptionibus de Campania villa, quæ sita est in pago Camiliacense, quam eidem regi quedam mater familias nomine Theodila tradiderat : et de Tibernione [Tivernione], quæ sita est in pago Aurelianensi, quam idem rex cum sancto Ferreolo Augustidunensi episcopo commutaverat; necnon et de Clippiaco superiore, et Idcina, atque Salice, seu Aquaputta, quæ omnes constant in pago Parisiaco : seu etiam de Latiniano, quæ sita est in territorio Meldico, quam ipse rex cum Bobone duce, et Tacilone comite palatii, de suo proprio fisco commutaverat. Sanctorum semper auxilium contra visibles et invisibles adversarios expetens; ut sicut ei tempore pubertatis in sonnis prædicti martyres promisebant, ab imminentibus angustiis eum eriperent, atque ei et in vita et post mortem pollicita suffragia ferrent. Super hæc vero centum vaccas inferendales, quæ ei de ducatu Cenomannico annis singulis solvabantur, fratribus inibi Deo servientibus per proprii præcepti subscriptionem, ut eisdem pro eo Dominum et sanctos martyres devotius delectaretur exorare, visus est omni futuro tempore annuatim concessisse.

CAP. XXXVIII. — *Quomodo ad Judicail missos suos in Britanniam transmisserit.*

Post hæc itaque Dagobertus rex Clippacio palatio residens mittit nuntios in Britanniam, ut que Britanni contra suos admiserant emendant, et ditione ejus se tradereat. Alioquin exercitus supradictus Burgundie, qui in Wascouiam fuerat, præsentaliter in Britanniam irrueret. Quod audiens Judicail rex Britannorum, cursu veloci Clippacio cum multis munieribus ad dominum Dagobertum regem pervenit, ibique veniam petens, cuncta quæ sui regni Britanni contra duces Francorum illicite perpetraverant, emendandum spondet, et semper se et regnum Britanniæ, quod ipse regebat, subiectum ditioni regis Dagoberti esse, postmodum omni tempore Francorum regibus jurejurando promittit. Sed tamen cum Dagoberto rege ad prandium discumbere noluit, eo quod esset Judicail religiosus et timens Deum valde. Cumque rex resedisset ad mensam, Judicail egrediens de palatio ad mansionem Dadonis referendarii, qui vocabulo Audoenus dictus est, posteaque episcopus Rotomorum exstitit, quia cognoverat eum Judicail sanctam religionem sectantem, cum eo accessit ad prandium. Indeque in crastinum Judicail rege Dagoberto vale dicens, in Britanniam repedavit. Condigne tamen a rege munieribus honoratur.

CAP. XXXIX. — *Quomodo omnia pene monasteria regni sui per suum testamentum ditaverit, per quod etiam Brunadum villam sancto Dionysio tradidit.*

Eodem siquidem anno Dagobertus rex postquam

A omnes gentes que in circuitu regni sui erant, subjacerat, et opitulante Domino jam pace firmata, filiosque suos Sigebertum, et Hludowium, ut supra diximus, reges designaverat, consilio divinitatis inspirato, convocatis filiis, omnibusque totius regni primatibus, x Kal. Junias in palatio Bigargio placitum generale instituit. Cumque, ut Francorum regibus moris erat, super solium aureum coronatus resideret, omnibus coram positis ita exorsus est : Audite me, o vos reges et dulcissimi filii, omnesque proceres atque fortissimi duces regni nostri. Priusquam subitanea transpositio mortis eveniat, oportet pro salute animæ vigilare, ne forte inveniat aliquem imparatum, eique sine aliquo respectu presentem lucem auferat, atque perpetuis tenebris et æternis eum tormentis tradat. Quin potius, dum proprio libertatis jure subsistit, ex caducis substantiis in æterna tabernacula vitam querat mercari perpetuam, ut inter consortium justorum desiderabilem valeat adipisci locum, et retributorem sibi prepararet Dominum, atque ex rebus transitoriis ad loca venerabilia sanctorum in almoniis pauperum curet impendere, quatenus ab ipso Domino fructum inefficientis paraciliti inter astra matutina mereatur refoveri. De cuius fonte vivo perfecta fide poscenti nec subtrahitur poculum, nec minuitur alveus, sed potius quisquis hauserit irrigatur dulcedine coelitus, atque suavis ei fragrat odor balsami paradisi. Et ideo ego discutiens conscientiam ac mei cordis excessum, atque considerans examinationem superni regis, judiciumque ipsius metuens, necnon etiam verens pœnas hominum infelicitum, maxime autem concupiscens gloriam infinitam justorum, et præcavens illud, ne ultimus dies juxta dispensationem Domini, nos de memoria sanctorum, vel consolatione egentium pigros inveniat, ita nobis sana mente sanoque consilio placuit, et ut jam diximus, devotione animæ admonuit, pro æterna retributione testamentum condere, in quo basilicas sanctorum pene omnes regni nostri temporibus nostris nominatas propriis nostris donationibus hæredes fieri præcipieremus, et pro immutabili beneficio quatuor uno tenore unoque temporis momento, vobis omnibus conscientibus firmare decrevimus, et quidquid ubique ad loca sanctorum per eadem nunc ad præsens contulimus, infra simili annotatione conteximus. Ex quibus unum Lugduno Galliae dirigimus, aliud vero Parisius in archivo ecclesiæ commendamus, tertium Meuis ad custodiendum domino Abboni donamus. Quartum autem, quem et in manibus tenemus, in thesauro nostro reponi jubemus. Hæc igitur propria exstat nostra devotio, et hæc Domini nostri consolatio, qui perfecta vota dignanter excipit : quia videlicet illi certa fiducia in die necessitatis manebit, quisquis locis sanctorum atque sacerdotibus et egenis hic almoniam tribuit, quoniam, Scriptura teste, feneratur Domino qui miseretur pauperi, et ipse regnator Olympi vicissitudinem reddet ei. Unde, sicut diximus, pro remedio animæ nostræ ipsa conditio admonuit,

C
D

ut post discessum, quandoquidem Deus jusserrit, nostrum, sacerdotes qui in illo tempore in locis infra scriptis officii curam gesserunt, sicut in praesenti pagina continetur, absque ullius exspectata traditione presentaliter cum omni integritate recipient, atque ad supra scripta loca sanctorum in reliquum cuncta aspiciant, et sub integra emunitate pro nostra mercede ibidem in perpetuum proficiant. Cumque unusquisque eorum sibi collata tempore illo receperit, nomen nostrum in libro vitae omnimodis inserat, et omnibus Dominicis diebus, seu præcipuis sanctorum solemnitatibus per omnia recenseat. Illud vero, quod ad medelam animæ nostræ plenius pertinere confidimus, per hanc paginam vos sacerdotes temporibus illis in ipsis sanctis locis consistentes, et officia in libata procurantes, per cœlestem Regem conjuramus, cum sibi collata unusquisque perceperit, insequentibus diebus tribus annis missas pro nobis celebrent, et sacrificia misericordissimo regi pro sarcina commissa peccaminum solvenda omnimodis offerant. Hoc vero testamentum Domino judice ac teste præcipue per hanc paginam omnibus qui adestis consentientibus committimus dulcissimis filiis nostris Sigeberto et Hludowio regibus, quos nobis Christi largitio concessit habere in prolem, aut quos adhuc Dominus dederit filios, qui nobis succedere debeant, ut hoc commune nostrum decretum faciatis in omnibus conservare, et haec collata nostra non præsumatis convellere. Sed per omnipotentis nominiis Trinitatem, vel virtutes archangelorum, patriarcharum et prophetarum, apostolorum atque martyrum, omniumque sanctorum, et tremendum diem judicii, scu adventum Domini nostri Jesu Christi, ante cujus conspectum resurgere videmur, conjuramus, quatenus statuta nostra, quæ præsens declarat Scriptura, stabili firmitate perpetuum faciatis custodiare. Nos autem præsentes chartas testamenti pro nostra in perpetuum mercede propria studemus roboratione firmare, et omnibus qui adestis episcopis, abbatibus, proceribus atque magnificis viris, ad præsens jubemus vestris subscriptionibus vel signaculis affirmare. Et iterum iterumque, sicut supra diximus, vos reges et dulcissimi filii, vel qui postmodum nobis successuri sint admonemus, quatenus facta nostra nullo modo præsumatis convellere, si ea quæ post nostrum discessum statueritis inconvulta manere vultis : quia illud nolo dubitetis, quod successores et vos habituri eritis, et si nostra non conservaveritis, nec vestra statuta stabilia esse credatis. Cumque hoc rex omnibus intente audientibus prudentissime perorasset, cuncti longèvam ei vitam pacemque regni granter optantes, prædictum testamentum tam ipse rex quam omnes regni primates alacriter firmaverunt. In quo etiam non immemor peculiaris patroni sui domini Dionysii, quamvis eidem jam plurima prædia contulerit, villam nomine Braunadum inserere studuit. Ordinatisque rite omnibus quæ ad regni honorem pertinebant, omnes cum gaudio ad propria remeare concessit. Illud vero testamentum, quod in

A thesauro suo reponi jusserrat, usque hodie in archivio ecclesiæ heatorum martyrum Dionysii ac sociorum ejus venerabiliter custoditur.

CAP. XL. — *Plumbi octo millia libras ad cooperiendam basilicam monachis sancti Dionysii donat.*

Denique eodem tempore plumbum, quod ei ex metallo censitum in secundo semper anno solvebatur, libras octo millia ad cooperiendam eamdem supradictorum beatorum martyrum ecclesiam eo ordine concessit, ut tam per regales quam et per easdem villas quas ipse ante eidem sancto loco contulerat, in alio semper anno adduceretur, et a gentibus vel thesaurariis ipsius venerandi monasterii traderetur, quatenus sicut ipse basilicam eorumdem martyrum devotissime tegere videbatur, ita ipsis intercedentibus eum omnipotens Deus umbra suarum protegeret alarum. Nam et præceptum exinde taliter firmare studuit, ut omni post futuro tempore a regibus succendentibus eadem traditio inviolabiliter observata custodiretur.

CAP. XLI. — *Quomodo Wascones cum suo duce ejus se ditioni subdiderunt.*

Anno igitur 15 regni Dagoberti, Wascones omnes seniores terræ illius cum Hamando duce ad regem Clippiaco venerunt, ibique in ecclesiam sancti Dionysii martyris regio timore perterriti confugium fecerunt. Clementia vero regis Dagoberti ob reverentiam sancti Dionysii vitam habent indulmat. Ibique ipsi sacramenta firmantes, simul et promittentes omni tempore regi et filii ejus, Francorumque regno se esse fideles, quod more solito sicut semper fefellerant post haec probavit eventus, permisso regis regressi sunt in terram Wasconizæ.

CAP. XLII. — *De obitu Dagoberti regis, et quid in infirmitate ipsa positus fecerit.*

Longum est enarrare quam providus idem rex Dagobertus in consilio fuerit, cautus judicio, strenuus militari disciplina, quam largus eleemosynis, quamque studiosus in componenda pace ecclesiastum, præcipueque quam devotus exsisterit in ditanis sanctorum coenobiis, præsenti operé declarare, minusque necessarium, et maxime ob fastidientium lectorum vitandum tedium : præsertim cum nullis abolenda temporibus luce clariora earum rerum existent indicia. Idcirco nunc ad obitum ipsius describendum vertens articulum, quid in ipsa infirmitate positus gesserit, et unum quod in quadam vetustissima reperi charta, quam, ut ferebatur, beatus Audoenus episcopus scriperat, quodque memorato regi ejus post mortem contigit, breviter narrabo miraculum. Post gloriosam regni administrationem, sexto decimo postquam regnum sortitus fuerat anno, profluvio ventris Spinogilo villa super Sequanam fluvium, nec procul Parisius, ægrotare cepit. Exiade vero ad basilicam sancti Dionysii martyris a suis defertur. Post paucos autem dies, cum vite sue sentiret periculum imminere, Egam consiliarium suum sub celeritate ad se venire præcepit. Reginam vero Nanthildem et filium suum Hludowium eidem in

manu commendans, seque jam discessurum sciens, consilium tamen ejus pergratum habebat, quod cum ipsius instantia regnum filius suus strenue gubernare posset. Convocatis deinde primoribus palati, filiumque et uxorem eis et ipsos eidem cum fidelitatis sacramento, ut moris est, commendans, matriculariis quoque jam dictæ basilice beatorum martyrum de villis Acuciaco et Cusduno, imoque Magno-villare, et Mediano-villare, atque Gellis præceptum fieri jussit. In quo etiam Sarclidas, quam antea isdem contulerat, inseruit. Omnibusque optimatibus dolore consternatis, virtute qua potuit benignissime consolatus est, et inter cetera quæ ad memoriam reducere longum est, hæc intulit : Quamvis miserrimus homo quandiu incolunis est semper præ oculis debeat habere futuram omnipotentis Dei discussionem judicii, in ægritudine tamen positus de illius piissima misericordia nullomodo debet desperare, sed pro salute animæ sue attentius eum oportet invigilare, et de propriis rebus quantum possibile est in almoniis pauperum seme tipsum redimere, quatenus apud misericordissimum judicem æternam post obitum valeat retributionem acquirere. Idcirco ego pro remedio animæ meæ matriculariis basilicæ domni Dionysii peculiaris patroni nostri, in qua ipse pretiosus martyr cum sociis suis corpore quiescit, et nos sepeliri optamus, villas quæ in presenti continent præcepto præsentialiter cum omni integritate couferimus : et sicut a fisco nostro hactenus fuerunt possessæ, ita ex nostra indulgentia propter acquirendam animæ nostræ salutem, vel pro filiorum nostrorum stabilitate, prædictis matriculariis qui in præfata basilica vel atrio ejus deserviunt, præsenti et futuro tempore in perpetuum proficiant, nullusque de filiis aut regibus unquam nostris successoribus, nec pontifex, nec abba ipsius monasterii prædictas villas, et Sarclidas, quam antea iisdem fratribus contulimus, ab eis auferre præsumat, si iram Dei et offensam domni Dionysii non optat incurtere. Quod si quis præsumperit, ante tribunal Domini nostri Jesu Christi cum sancto martyre et ipsis matriculariis exinde rationem deducat. Annualis enim virtus inde, Deo donante, ut credimus, sæpedictis pauperibus poterit sufficere, ut semper pro anima nostra et ipsis et successores eorum nostra pasti eleemosyna plenius atque devotius delectet orare. Nos vero præsens præceptum jam minime valemus subscribere, quia invalescente ægritudine calamus in manu nostra trepidat. Et propterea rogamus dulcissimum filium nostrum Hludowium regem, ut per signaculum sui nominis istam chartam assurmet, et Dado eam offerat, et optimates nostri illam subscriptant. Cumque rex hic loquendi finem fecisset, filius ejus rex Hludowius ipsum præceptum secundum jussionem patris, offrente Dadone referendario, subscriptis, omnesque proceres qui in præsenti aderant propriis eumdem subscriptionibus firmaverunt. His taliter explosis, post paucos dies xiv Kal. Februarias, Christianissimus rex Dagobertus humanis rebus exemptus est.

A Intolerabilis autem luctus subito replevit palatum, universumque regnum ob ipsius mortem acerbissima occupavit lamentatio.

Cap. XLIII. — *De sepultura ipsius in ecclesia sancti Dionysii, et qualiter ibidem peallentium ordinem adhuc vivens instituerit.*

Conditus autem aromatibus cum ingenti populum dolore atque frequentia translatus est in basilicam beatissimorum martyrum, quam ipse, ut supra diximus, condigne ex auro et gemmis et multis pretiosissimis speciebus ornaverat, et condigne in circuitu fabricare præceperat, atque juxta eorum tumulum in dextro latere honore merito sepultus. Tantæ vero opes ab eodem et villaæ ac possessiones multæ p. plurima loca ibi fuerant collatæ, etiamque minime ob fastidium, ut jam dixi, quorundam vicandum recenserentur, ut hodieque devotio animi ipsius miretur a pluribus. Ordinem autem psallentium ibidem ad instar monasterii Agaunensis et sancti Martini Turonis instituerat, sed facilitas abbatis Agiulfi [Haigulfi] eamdem institutionem vocitare fragasse.

Cap. XLIV. — *De legatione Ansaldi et revelatione cuiusdam servi Dei qualiter animam regis Dagoberti sancti Dei liberaverint.*

Legationem tum forte illustris defensor Pictavensis Ecclesiaz Ansaldus in partes Siciliæ agebat. Ea peracta, cum navali revertetur subsidio, applicuit ad quamdam brevem insulam, in qua reverentissimus quidam senex, cui nomen erat Joannes, solitariam ducebatur vitam; ad quem mare commaneantum, ut orationis ejus fulcirentur solatio, plurimi ventabant. In hanc ergo insulam tanti viri meritis redimtam appulsus divino nutu Ansaldus, dum de cœlestibus gaudiis cum eo sermocinaretur, interrogat senex unde vel cur venisset. Igitur cognito de Galliis qua de causa missus fuisset, rogat senex ut Dagoberti regis Francorum sibi mores studiumque exponat. Quod cum ille diligenter fecisset, senex addidit quod dum quadam die, ut pote jam fractus zetate et fatigatus vigiliis, quieti paululum indulsisset, accessisse ad se virum quendam canitic venerandum, seque exercefactum admonuisse, quatenus propere sergeret, et pro Dagoberti regis Francorum anima divinam clementiam exoraret, eo quod ipso die spiritum exhalasset. Quod dum facere maturaret, apparuisse sibi haud procul in pelago terribilis spiritus vindictum regem Dagobertum in lembo per spatium maris agitantes, atque ad Vulcania loca, inflictis insuper verberibus, trahentes, ipsumque Dagobertum beatos Dionysium et Mauricium martyres, et sanctissimum confessorem Martinum ad sui liberationem contionis vocibus flagitantem. Nec mora intonuisse cœlum, fulminaque per procellas disjecta, interque ea repente apparuisse præcellentissimos viros niveis complicitibus, seque tremefactum ex eis quiesce quinam essent. Illosque respondisse, quos Dagobertus in adjutorium vocaverat, Dionysium scilicet et Mauricium ac Martinum esse, ut eum erexit in sano Abrahæ collocarent. Itaque hostes humani generis

velociter in sequentes, animam quam verberibus minisque vexabant exemptam ad alia secum levasse canentes, *Beatus quem elegisti et assumpsisti, Domine, inhabitabit in atris tuis. Replebitur in bonis domus tuae, sanctum est templum tuum, mirabile in aquitate.* Hac in memorata charta inter alia cerebantur, quæ non tam verisimilia quam verissima, ut arbitror, videri possunt. Quoniam idem rex cum et alias longe lateque ecclesias ditasset, tum præcipue horum copiosissime locupletavit. Unde et eorum post mortem flagitabat auxilium, quos præ ceteris se dilexisse in meminerat.

CAP. XLV. — *De Hludowico filio ipsius, quomodo illi in regnum successerit.*

Itaque post Dagoberti regis discessum, filius ejus Hludowius sub tenera ætate sibi regnum patris ascivit, omnesque duces de Neustria et Burgundia eum Massollaco villa sublimant in regnum. Ega vero, qui fuerat consiliarius regis Dagoberti, cum regina Nanthilde, quam idem rex reliquerat, anno primo regni Hludowii, et secundo imminente regni, condiȝe palatum gubernabat et regnum. Ipse namque inter ceteros primates Neptrici prudentius agens, et plenitudine patientiae imbutus, cunctis erat præcellenter. Eratque genere nobilis, opibus abundans, justitiam sectans, eruditus in verbis, paratus in responsis. Tantummodo a plurimis blasphemabatur, eo quod eset avaricie deditus.

CAP. XLVI. — *De thesauris ipsius, quo ordine inter filios divisi sint, et de morte Pippini et Ega, qui fuerant consiliarii regis Dagoberti.*

Igitur post obitum Dagoberti regis, quo ordine ejus thesauri inter filios divisi fuerint, non omittam, sed dilucidato ordine serie libelli inserere procurabo. Cum Pippinus major domus post discessum regis, et ceteri Austrasiorum duces, qui usque in transitu Dagoberti ei fuerant ditione detenti, Sigibertum unanima conspiratione expetisserint, Pippinus cum Chuniberto, sicut et prius amicitia cultu invicem conjuncti fuerant, et nuper inter se sicut et antea amicitiam vehementer firmiterque perpetuo conservandam ligant: omnesque duces Austrasiorum secum uterque prudenter et cum dulcedine attrahentes, eosque benigne gubernantes, eorum amicitiam constringunt semper servandam. Igitur discurrentes legati partem Sigeberti debitam de thesauris patris Dagoberti, Nanthildi reginæ et Hludowio, Sigeberto habendam requirunt, ad quam reddendam placitus institutur. Chunibertus itaque pontifex urbis Coloniæ, et Pippinus major dominus, cum aliquibus primatibus Austræ, a Sigiberto directi villam Compendium usque perveniunt, ibique thesauri divæ memorie Dagoberti regis jubente Nanthilde et Hludowio rege instantia Egani majoris domus presentantur, et æqua lance dividuntur. Tertiam tamen partem de omnibus quæ Dagobertus rex acquisierat, postquam Nanthildis regina regnare coepit, eidem reservant. Chunibertus vero et Pippinus major domus partem Sigiberti Metis faciunt perduci, ibique regi Sigiberto presentatur atque describitur. Post fere evoluto anni circulo Pippinus moritur, nec

A parvum dolorem ejus transitus cunctis generavit in Austria, eo quod ab ipsis pro justitiae cultu et bonitate, nimirum dilectus fuisset. Ega quoque anno tertio Hludowii regis Clippiaco villa febre vexatus, et ipse moritur.

CAP. XLVII. — *De Erchinoaldo et Flaucale, qui post Egam maiores domus fuerunt.*

Post discessum vero ejus, Herchinoaldus, qui ex parte genitricis Dagoberti regis consanguineus fuerat, major domus in palatio Hludowii efficitur. Erat enim homo patiens, bonitate plenus, cautus ingenio, servos Dei omnesque sacerdotes humiliter venerans, rebus admodum mensurate ditatus, qui ab omnibus regni primatibus iniro venerabatur affectu. Anno vero 4 regni Hludowii, cum Nanthildis regina post discessum Egani una cum filio Aurelianis in Burgundia regnum venisset, ibi omnes seniores pontifices cum ducibus et primoribus ipsius regni ad se venire præcepit, cunctosque sigillatim benignissime attrahens, Flauclatum genere Francum majorem domus statuit in regno Burgundia: pontificum et ducum electione hujusmodi honoris gradu eum stabiliens, neptiemque suam nomine Ragnclertam ipsi desponsavit.

CAP. XLVIII. — *De testamento Nanthildis reginæ et morte ipsius.*

Testamentum autem de villis quibus eam rex Dagobertus et filius ipsius Hludowius ditaverant, eodem tempore ad loca opportuna sanctorum fieri ordinavit; in quo etiam Latinicum villam, quæ sita est in Brieio, ad basilicam domini Dionysii tradens, inserere jussit. Tria siquidem exemplaria uno tenore exinde scribi præcepit, ex quibus unum in scrinis saepe dictæ ecclesiæ usque hodie custoditur. His ita compositis, et rebus prospere ab ea gestis, filioque jam utiliter in Neptrico et Burgundia regnante, Nanthildis regina moritur, atque in ecclesia beatorum martyrum Dionysii ac sociorum ejus juxta Dagobertum regem in eodem sepulcro sepelitur.

CAP. XLIX. — *De Hludowico, qualiter præcepta quæ pater suus sancto Dionysio tradiderat renovaverit, et quomodo argentum supradictæ absida pauperibus largiri jusserit.*

Deinde Hludowius filius eorum, parentibus, ut prædiximus, a sæculo decadentibus, in regnum successit, et præcepta quæ glorirosus rex pater suus propria D auctoritate firmans sanctorum saepe dictorum martyrum ecclesiæ contulerat, ipse quoque suo tempore studuit renovare, atque propriæ manus subscriptione et annuli item impressione firmare. Anno vero 14 regni sui absidam iufra quam prædictorum Christi martyrum Dionysii ac sociorum ejus corpora requiescunt, quam inclytus rex pater suus desuper argenteo, ut prætuli, tegumento devotissime foris operuerat, quoruindam suasione et consilio ipsum argentum desuper prædicta absida pauperibus Christi et egenis atque peregrinis, quia ut fertur eo tempore fames valida inerat, erogari præcepit, et insuper Aigulfo abbati, cui tunc cura monasterii ipsius commissa erat, præceptum hujusmodi dedit, quatenus ipso

abba hoc cum timore Dei fideliter studeret adimplere, nullamque requisitionem nec a suo pontifice, eo quod adhuc illo tempore monasterium illud sub potestate pontificis Parisiorum Ecclesiae videbatur esse subiectum, nec a quolibet unquam homine pertimesceret.

CAP. L. — *De eo quod præfatum locum idem rex Hludowicus a dominatione Parisiaci antistitis per privilegium et confirmationem sanctorum episcoporum liberaverit.*

Succedente vero tempore, anno 16 regni sui Hludowius rex Clippiaco residens, convocatis pontificibus, necnon et regni primoribus, regio stemmate ex more complus, inter cæteras principalium rerum actiones, ob quas pro salute regni tractandas optimates, ut diximus, congregaverat, divino impellente nutu ita coepit : Oportet nos sedule secundum paternam institutionem locis venerabilibus sanctorum reverentiam exhibere, ut eos in die necessitatis patrones et defensores contra invisibilis hostes possimus habere. Ideoque consilium quod, ut credo, omnipotens Dominus cordi nostro dignatus est inserere, vos domini et sanctissimi sacerdotes, necnon regni et palati nostri principes, intenta auro percipite, et si probaveritis esse utile una mecum Christo protegente salutriter pertractate. Siquidem omnipotens Pater, qui dixit de tenebris lumen splendescere, per incarnationis mysterium unigeniti Filii sui Domini nostri Iesu Christi, vel illustratione sancti Spiritus illuxit in corda sanctorum Christianorum, pro cuius amore et desiderio inter gloriosos triumphos martyrum beatissimus Dionysius, Rusticus et Eleutherius, meruerunt palnam victorie et coronam percipere gloriosam. In quorum basilica, ubi requiescere videntur, per multa tempora non minima miracula ad laudem sui nominis Christus dignatus est operari. In quo etiam loco genitores nostri dominus Dagobertus et donna Nanthildis videntur requiescere. Ut per intercessionem sanctorum illorum in coelesti regno mereantur participes esse, et vitam æternam possidere. Et quia ab ipsis principibus, et a cæteris priscis regibus, vel a Deum timentibus Christianis hominibus ipse sanctus locus in rebus propter amorem Dei et adipiscendam vitam æternam, cernitur esse ditatus, nostra integra devotione atque petitio existat, ut apostolicus vir Landericus, Parisiacæ Ecclesiae episcopus, privilegium ad ipsum sanctum locum abbatii vel fratribus ibidem consistentibus facere et confirmare, si vobis ita videtur, pro quiete futura debeat, quo facilis congregationi ipsi licet pro stabilitate regni nostri ad limina martyrum ipsorum divinam clementiam jugiter exorare. Illoc autem et ipse pontifex juxta petitionem devotionis nostræ promptissima voluntate præstare et confirmare dignoscitur. Nos vero pro reverentia ipsorum martyrum, vel nostra confirmanda mercede, hujuscemodi præceptum præsentraliter una vobiscum confirmare volumus, ut si qua ad ipsum sanctum locum, in villabus, mancipliis vel quibuscumque rebus a priscis regibus seu genitoribus nostris, vel Deum timentibus hominibus,

A propter amorem Dei ibidem delegata aut deinceps fuerint addita, dum ex munificentia parentum nostrorum, ut diximus, ipse sanctus locus videtur esse ditatus, nullus episcoporum, nec qui praesens, nec qui futuri erunt successores, aut eorum ordinatores, vel qualibet persona possit quoquo ordine de loco ipso aliquid auferre; aut aliquam potestatem sibi in ipso monasterio usurpare, aut aliquid quasi per confirmationis titulum absque voluntate ipsius congregacionis vel nostro permisso minuere, aut calices, vel cruces, seu indumenta altarium, sive sacros codices, argentum, aurumve, vel qualemcumque speciem, quidquid ibi collatum fuit aut erit, auferre, nec ad civitatem deferre presumat. Sed licet ipsi sancte congregationi quod inibi per rectam delegationem B collatum est perpetim possidere, quatenus eidem pro animabus parentum nostrorum, et pro stabilitate regni nostri Dominum attentius jugiter delecte exorare. Nos enim propter Dei amorem, et reverentiam ipsorum sanctorum martyrum, atque adipiscendam vitam æternam, hoc beneficium ad ipsum sanctum locum cum vestro consilio gratissimo animo et integra voluntate volumus præstare : eo scilicet ordine ut sicut ibidem tempore domini et genitoris nostri psallentium ordo per turmas fuit institutus, vel sicut in monasterio sancti Mauricii Agaunis, et sancti Martini Turonis die noctuque tenetur, ita in loco ipso per omnia futura tempora celebretur. Itaque dum regem omnes regni principes huc concionantem stolidis auribus diligenter intenderent, pontifices qui C aderant optimam devotionem regis approbantes, præceptum ab ipso rege modo supra scripto factum, tam rex quam pontifices et principes qui praesentes aderant firmaverunt. Inter quos nonnulli pontifices extiterunt, quos hodie sancta Ecclesia sanctissimos esse non dubitat, eo quod ad eorum venerabilia sepulchra virtutes non modicas usque in præsens dominus operetur. Scilicet beatus Audouenus, et sanctus Rado frater ipsius, necnon beatus Palladius, et sanctus Clarus, atque dominus Eligius, vel sanctus Sulpicius, beatus quoque Aubertus, et dominus Castadius, sanctusque Etherius, aliique quamplures, et venerabilis Landericus Parisiorum episcopus, qui prædictum privilegium sua sponte consensit et confirmavit.

CAP. LI. — *De eo quod os brachii sancti Dionysii fregi, et ob hoc prius sensum, et postea vitam cum regno amisis.*

Hludowius itaque rex cunctis diebus absque bellis in regno regem habuit; sed fortuna impellente quoddam in extremis vitae sue annis ad supradictorum martyrum corpora quasi causa orationis venit. Volensque eorum pignora secum habere, discooperire sepulcrum jussit. Corpus autem beati et excellentissimi martyris atque pontificis Dionysii intuens, minus religiose, licet cupide, os brachii ejus fregi et rapuit, confessimque shapefactus in amentiam decidit. Tantisque terror et metus ac tenebre locum ipsum repleverunt, ut omnes qui aderant timore maximo consternati, fugæ præsidium peterent. Post hæc vero

ut sensum recuperaret, villas quasdam ad ipsum locum A Sed sensum ex aliquantula parte recuperans, non tradidit. Os quoque, quod de sancto corpore tulerat, autem integre recipiens, post duos annos vitam cum auro ac gemmis miro opere vestivit, ibique repositus. regno finivit.

Expliciunt Gesta domini Dagoberti regis feliciter.

VIII.

GESTA REGUM FRANCORUM,

Partim e Gregorii Turonensis Historia, cuius et nomen in vetustissimis codicibus præferrunt, partim aliunde desumpta, et usque ad regem Theodoricum II perducta; auctore incerto, sed qui ejusdem Theodorici tempore vixit.

Editio Marquardi Freheri consiliarii palatini collata cum diversis codicibus mss. qui sunt in bibliotheca V. Cl. Alexandri Petavii senatoris Paris., et appendice etiam ad Pippinum usque regem nunc primum aucta. Adjecta est quoque Gestorum eorumdem comparatio cum alia Historia scriptoris, ut videtur, antiquioris: ut potest qui in Chramno Clotarii I filio desinit. Ex pervertusto exemplari ms. ecclesie Cameracensis.

(Ex Duchesne, Historiae Francorum Scriptores.)

GESTA REGUM FRANCORUM,

Ex editione Marquardi Freheri.

CAP. I. — *De origine, ac gesta Francorum, vel eorum sequentia certamina.*

Principium Francorum gentis et originem, vel regum gesta proferamus. Est itaque in Asia oppidum Trojanorum, ubi est civitas quæ Ilium dicitur, ubi regnavit rex Æneas. Gens illa fortis et valida, viri bellatores atque rebelles nimis, inquieta certamina objurgantes, per gyrum finitima debellantes. Surrexerunt autem reges Graecorum adversus Æneam regem Trojanorum, cum multo exercitu: pugnaveruntque contra eum cæde magna, corruisque ibi exercitus maximus Trojanorum. Fugit autem Æneas rex, et reclusit se in civitate Ilium. Pugnaverunt enim adversus hanc civitatem annis decem. Tunc ipsa civitate subacta, fugit Æneas rex cum ceteris viris suis in Italiam, locare gentes illas, ut ei auxilium ferrent. Alii autem de principibus ejus, Priamus et Antenor, cum aliis viris de exercitu Trojanorum duodecim millia fugerunt cum navibus. Qui introeuntes ripas Tanais fluminis per Maeotidas pa-

B ludes navigaverunt, et pervenerunt ad terminos Annitos Pannoniarum, tenentes finitima spatia secus Maeotidas paludes. Cooperuntque aedificare civitatem ob memoriale [Al., memoriam] eorum, appellaturque eam Sicambriam. Ibique habitaverunt annis multis, creveruntque in gentem magnam.

CAP. II. — *Quod gens Alanorum contra Valentianum imperatorem rebellaverunt eoque Franci device- runt, et tributa Francis concessa sunt.*

In illo tempore Valentianus imperator imperium Romanorum regebat. Eo tempore gens Alanorum atrocissima rebellaverunt contra prædictum imperatorem. Ille itaque commoto exercitu magno Romanorum direxit aciem contra eos, superaviisque eos, et adtrivit atque debellavit. Illi autem cæsi super fluvio Danubio fugerunt, et intraverunt in Maeotidas paludes. Tunc ait imperator: Si quis potuerit introire in paludes istas, et inde ejicere potuerit gentem hanc rebellem Alanorum, concedam ei tributa annos decem. Tunc congregati Franci, qui fuerunt de

HISTORIA FRANCORUM,

Ex codice ms. ecclesie Cameracensis.

I. Principium regnum Francorum, eorumque originem, vel gentium illarum, ac gesta proferamus. Est autem in Asia oppidum Trojanorum, ubi est civitas quæ Ilium dicitur, ubi regnavit Æneas. Gens illa fortis et valida, viri bellatores, atque rebelles nimis, inquieta certamina objurgantes, per gyrum finitima debellantes. Surrexerunt autem reges Graecorum adversus Æneam cum multo exercitu, pugnaveruntque contra eum cæde magna: obruiturque illic multum populus Trojanorum. Fugit itaque Æneas, et reclusit se in civitate Ilium. Pugnaveruntque adversus hanc civitatem annis decem. Ipsa enim civitate subacta, fugit Æneas tyrannus in Italia, locare gentes ad pugnandum. Alii quoque ex principibus, Priamus videlicet et Antenor, cum reliquo exercitu Trojanorum, duodecim millia intrantes in navibus, abcesserunt, et venerunt usque ripas Ta-

D nais fluminis. Ingressi Maeotidas paludes, navigantes pervenerunt intra terminos Pannoniarum iuxta Maeotidas paludes, et cooperunt aedificare civitatem ob memoriale eorum, appellaveruntque eam Sicambriam. Habitaveruntque illic annis multis, creveruntque in gentem magnam.

II. Eo itidem tempore gens Alamannorum [Al., Alanorum] prava ac pessima rebellaverunt contra Valentianum imperatorem Romanorum ac gentium. Tunc ille exercitum movit hostem magnum de Roma, contra eos perrexit, pugnam iniit, superavitque eos, atque devicit. Illi itaque cæsi super Danubium flumen fugerunt, et intraverunt in Maeotidas paludes. Dixit autem imperator: Quicunque potuerit introire in paludes istas, et gentem istam pravam ejecerit, concedam eis tributa donaria annis decem. Tunc congregati Trojani fecerunt insidias, sicut erant